

corporis vnione ac fidei catholice veritate immobiliter perdurate. Veneramini toto studio sicut incepistis matrem omnium fidelium sacrosanctam Romanam ecclesiam. et qui longa terrarum intercapedine ab ea distatis deuotione ac pio desiderio presentes ei semper estote Firmum quidem habemus et indubitabile quia si usque ad finem in obediencia eius et subieccione manseritis et statuti prefati fratris nostri et doctrinam apostolicam studueritis adimplere. de terrenis ad celestia. et de caducis ac transitoriis ad eterna semperque manencia pertingetis Censum autem quem in argumentum vestre deuotionis beato petro de terris vestris persoluendum annis singulis statuistis. fratribus nostris episcopis tribui faciatis. vt per eos sedi apostolice transmitatur. Quem profecto non tam ad nostram vtilitatem quam ad salutem animarum uestrarum exigimus dum vos interne deuotionis obsequium beati petri cupimus patrociniū optinere. Datum lateran. IIII:to kalendas decembris.

39.

1156 — 1178.

Ärke-Bisk. Eskills Gåfvobref till Canikerna i Lund på all tionde af deras prebenden och hemman.

B. 1: 37.

Priuilegium Eskilli Archiepiscopi super decimis Canonicorum.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis Ego eskillus. sancte lundensis ecclesie archiepiscopus. Apostolice sedis legatus. Dacie et suecie primas. Dilectis filiis sancti laurencii canonicis. decimas omnes. tam de terris prebendarum eorum ac beneficiorum quam et mansionum. perpetuo possidendas. pietatis intuitu contulimus. profecto dignum ducentes. vt matricis ecclesie filiis succurratur. quorum rei familiaris indigencia maior. preter quam decet. esse dinoscitur. Hoc enim humanitatis creat racio. et ordinata exigit caritas. vt sorti debiliori. propensius consulatur. Vt igitur hec rata nostra constitucio de cetero habeatur. ex auctoritate dei omnipotentis et nostra. anathemate eum ferimus. qui ex hac constitucione aliquid subtrahere. diminuere seu anichilare. attrectauerit. Sitque pars eius cum hiis qui dixerunt domino deo Recede a nobis. scienciam viarum tuarum nolimus Qui autem hec. stabilia et robore plena fore studuerit. benedictionem in presenti a domino desuper accipiat. et post presencium curricula. deum deorum in syon aspiciat. Valet.